

tolos? Non Verbum Christum, sed verbum Christi, de quo scriptum est: « Fides ex auditu, auditus autem » per verbum Christi¹. » Nam et verbum propheticum, lucernæ comparans apostolus Petrus, « Habemus, inquit, » certiore propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco². » Quod itaque hic ait: « Lucerna pedibus meis verbum » tuum, et lumen semitis meis, » verbum est quod in Scripturis sanctis omnibus continetur.

II. « Juravi, inquit, et statui custodire judicia justitiæ tuæ³. » Tanquam bene ambulans ad illam lucernam, et rectas semitas habens. Sequenti autem verbo illud quod antecedit expositum est. Quasi enim quæreremus quid esset, « Juravi: » adjunxit, « Et statui. » Hoc enim appellavit juramentum, quod statuit per sacramentum: quia ita debet esse mens fixa in custodiendis judiciis justitiæ Dei, ut sit omnino pro juratione quod statuit.

III. Fide autem custodiuntur judicia justitiæ Dei: cum sub Deo justo iudice, nec recte factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum: sed pro hac fide quia multa et gravissima mala corpus pertulit Christi, « Humiliatus sum, inquit, usque valde⁴. » Non enim ait, Humiliavi me: ut humilitatem, quæ in præcepto est, intelligi sit necesse: sed ait, « Humiliatus sum usque » valde; » maximam scilicet passus persecutionem, pro eo quod juravit et statuit custodire judicia justitiæ Dei. Et ne in tanta humiliatione fides ipsa deficeret, addidit: « Domine, vivifica me secundum verbum tuum »: hoc est secundum promissum tuum. Nam et verbum promissorum Dei, lucerna est pedibus, et semitis lumen. Sic et superius, ut eum Deus vivificaret, oravit ne humiliatione persecutionis, ubi ait, « Paulo minus consummaverunt

¹ Rom. x, 17. — ² 2 Petr. 1, 19. — ³ Psal. cxviii, 106. — ⁴ Ibid. 107.

» me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua: » secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam » testimonia, id est, martyria oris tui. » Ubi intelligitur, si ipse non vivificet donando patientiam, propter quod dictum est: « In vestra patientia possidebitis animas vestras¹: » et de quo dictum est: « Quoniam ab ipso est » patientia mea²: » non corpus in persecutione mortificari, sed animam, non custodiendo martyria et judicia justitiæ Dei.

IV. « Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine³: » hoc est, placeant tibi; noli reprobare, sed approba. Bene autem intelliguntur oris voluntaria, sacrificia laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata. Unde dictum est: « Voluntarie sacrificabo tibi⁴. » Sed quid est quod adjungit: « Et judicia tua doce me? » Nonne ipse in versibus superioribus dixerat: « A judiciis tuis non » declinavi? » Quomodo istud, si non ea noverat? Porro si noverat, quomodo hic dicit: « Et judicia tua doce me? » An sicut illud est: « Suavitatem fecisti cum servo tuo: » et postea dicit: « Suavitatem doce me? » Quod ita exposuimus, ut intelligeremus verba proficientis, et addi sibi ad id quod acceperat postulantis.

V. « Anima mea in manibus tuis semper⁵. » Nonnulli codices habent: « In manibus meis: » sed plures: « In » tuis: » et hoc quidem planum est. Justorum enim animæ in manu Dei sunt⁶: in cujus manu sunt et nos et sermones nostri⁷. « Et legis, inquit, tuæ non sum oblitus. » Tanquam ad non obliviscendam Dei legem manibus ipsius adjuvetur ejus memoria, ubi ejus est anima. « Anima vero » mea in manibus meis, » quomodo intelligatur, ignoro. Justi quippe ista verba sunt, non injusti, redeuntis ad

¹ Luc. xxi, 19. — ² Psal. lxi, 6. — ³ Id. cxviii, 108. — ⁴ Id. lvi, 8. — ⁵ Id. cxviii, 109. — ⁶ Sap. iii, 1. — ⁷ Id. vii, 16.

Patrem, non discedentis a Patre. Nam potest videri junior ille filius animam suam in manibus suis habere voluisse, quando dixit patri: « Da mihi substantiam meam, » quæ me contingit¹. » Sed ideo mortuus erat, ideo perierat. An forte ita dictum est: « Anima mea in manibus meis, » tanquam eam vivificandam offerret Deo? Unde alibi dicitur: « Ad te levavi animam meam². » Dixerat enim et hic superius, « Vivifica me. »

VI. « Posuerunt, inquit, peccatores laqueum mihi, et » a mandatis tuis non erravi³. » Unde hoc, nisi quia ejus anima in manibus Dei, vel in suis vivificanda offertur Deo?

VII. « Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum⁴. » Nonnulli uno verbo volentes dicere, quod uno verbo in græco positum est: « Hæreditavi » interpretati sunt. Quod etsi latinum esse posset, magis significaret eum qui dedit hæreditatem, quam eum qui accepit; ut sic esset, hæreditavi, quomodo, ditavi. Melius ergo duobus verbis insinuat integer sensus, sive dicatur « Hæreditate possedi, » sive dicatur « Hæreditate acquisivi: » non hæreditatem, sed « Hæreditate. » Si autem quæritur, quid acquisierit hæreditate. « Testimonia, » inquit, tua. » Quid volens intelligi, nisi ut testis Dei fieret, ejusque testimonia confiteretur, id est, ut Martyr Dei fieret, atque ejus martyria diceret, sicut Martyres dicunt, a Patre sibi, cujus hæres est, esse collatum? Multi quippe voluerunt, neque potuerunt: nulli tamen potuerunt, nisi qui voluerunt; quia non potuissent, si Dei testimonia negare voluissent. Sed etiam ipsorum præparata est voluntas a Domino⁵. Ideo hæc hæreditate se acquisisse iste testatur, et hoc « In æternum: » quia non est in eis gloria temporalis hominum vana quærentium, sed æterna

¹ Luc. xv, 12 et 24. — ² Psal. xxiv, 1. — ³ Id. cxviii, 110. — ⁴ Ibid. 111. — ⁵ Prov. viii, 35.

gloria est brevi tempore patientium, et sine fine regnantium. Unde sequitur, « Quoniam exultatio cordis mei sunt. » Etsi afflictio corporis, exultatio tamen cordis.

VIII. Deinde subjecit: « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem¹. » Qui dicit: « Inclinavi cor meum, » ipse jam dixerat: « Inclina cor meum in testimonia tua: » ut intelligamus simul hoc esse et divini muneris et propriæ voluntatis. Sed numquid in æternum facturi sumus justificationes Dei? Opera illa quidem quæ operamur circa proximorum necessitates, æterna esse non possunt, sicut nec ipsæ necessitates: sed si non diligendo ista faciamus, nulla est justificatio: si autem diligendo, æterna est ipsa dilectio, eique æterna parata est retributio; propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit.

SERMO XXIV.

I. PSALMI hujus locus, de quo in voluntate Dei disputaturi sumus, sic incipit: « Iniquos odio habui, et legem » tuam dilexi². » Non ait, Iniquos odio habui, et justos dilexi; aut; iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi: sed cum dixisset: « Iniquos odio habui, » exposuit quare, addendo: « Et legem tuam dilexi: » ut demonstraret, non se in hominibus iniquis odisse naturam, qua homines sunt; sed iniquitatem, qua legi quam diligit, inimici sunt.

II. Deinde sequitur, « Adjutor meus et susceptor meus es

¹ Psal. cxviii, 112. — ² Ibid. 113.

» tu¹ : » Adjutor ad bona facienda : « Susceptor , » ad mala evadenda. Quod autem adjungit : « In verbum tuum » supersperavi : » tanquam filius promissionis loquitur.

III. Sed quid sibi vult versus qui sequitur ? « Declinate » a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei². » Non enim ait, Faciam ; sed, « Scrutabor. » Ut ergo perfecte ea diligenterque noverit, malignos a se declinare desiderat, eosque etiam compellendo a se abigit. Nam maligni exercent ad facienda mandata, a scrutandis autem avocant ; non solum cum persequuntur, aut litigare nobiscum volunt ; verumetiam cum obsequuntur et honorant, et tamen suis vitiosis et negotiosis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, et eis nostra tempora impendamus, efflagitant ; aut certe infirmos premunt, et causas suas ad nos deferre compellunt : quibus dicere non audemus : Dic homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos³ ? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos⁴. Ne illis quidem qui non aliena rapiunt, sed sua cupide repetunt, dicimus : Cavete ab omni cupiditate, constituentes eis ante oculos hominem cui dictum est, « Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua, quæ præparasti cujus erunt⁵ ? » quia et quando dicimus, non recedunt, nec declinant a nobis ; sed instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potius ad ista quæ diligunt, quam scrutandis Dei mandatis quæ diligimus occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, et quanto desiderio divinorum eloquiorum dictum est, « Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei ? » Ignoscant obedientes fideles, qui pro suis sæcularibus causis raro nos quærent, et judiciis nostris facillime ad-

¹ Psal. cxviii, 114. — ² Ibid. 115. — ³ Luc. xii, 14. — ⁴ 1 Cor. vi, 1-6. — ⁵ Luc. xii, 20.

quiescunt ; nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potius consolantur. Certe propter eos qui et inter se pertinaciter agunt, et quando bonos premunt, nostra judicata contemnunt, faciuntque nobis perire tempora rebus eroganda divinis ; certe, inquam, propter istos et nobis liceat exclamare in hac voce corporis Christi : « Declinate a me, » maligni, et scrutabor mandata Dei mei. »

IV. Deinde posteaquam velut ab oculis cordis sui muscas irruentes abegit, redit ad eum cui dicebat : « Adjutor » meus et susceptor meus es tu, in verbum tuum speravi ; » precemque continuans : « Suscipe me, inquit, secundum » eloquium tuum, et vivam ; et ne confundas me ab expectatione mea¹. » Qui jam dixerat, « Susceptor meus, » poscit magis magisque suscipi, et ad illud propter quod tolerat tam multa molesta, perducere : verius ibi se, quam in istis humanarum rerum somniis fidens esse victurum. Sic enim de futuro dictum est, « Et vivam, » tanquam in hoc corpore mortuo non vivatur. Corpus enim mortuum est propter peccatum. Et expectantes redemptionem corporis nostri, spe salvi facti sumus, et quod non videmus sperantes, per patientiam expectamus². Sed spes non confundit, si charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis³. Propter quem largius accipiendum clamatur ad Patrem : « Ne confundas me ab expectatione mea. »

V. Et tanquam ei responsum fuerit in silentio, non vis confundi ab expectatione tua ? Non intermittas meditari justificationes meas. Sentiens istam meditationem plerumque animæ languoribus impediri : « Adjuva me, inquit, et » salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper⁴. »

VI. « Sprevisisti omnes : » vel quod de græco diligentius

¹ Psal. cxviii, 116. — ² Rom. viii, 10 et 23-25. — ³ Id. v, 5. — ⁴ Psal. cxviii, 117.

videtur expressum : « Ad nihilum deduxisti omnes discedentes a justificationibus tuis; quia injusta cogitatio eorum¹. » Ideo ergo clamavit : « Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper; » quia in nihilum redigit Deus omnes discedentes a justificationibus suis. Quare autem discedunt? « Quia injusta est, inquit, cogitatio eorum. » Ibi acceditur, ibi disceditur. Omnia opera vel mala vel bona, a cogitatione procedunt. In cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est : propter quod scriptum est : « Cogitatio sancta servabit te². » Et alibi legitur : « In cogitationibus impij interrogatio erit³. » Et Apostolus : Cogitationibus, ait, accusantibus aut etiam defendentibus⁴. » Ubi autem felix est, qui in cogitatione miser est, aut quomodo ibi non miser est qui ad nihilum redactus est? Magna quippe est sterilitas, iniquitas. Merito dictum est : « Confundantur iniqui facientes vane⁵ : » id est, inaniter, tanquam redacti ad nihilum.

VII. Sequitur in Psalmo : « Prævaricantes deputavi, » vel putavi, vel existimavi omnes peccatores terræ⁶. » Multis enim modis nostri interpretati sunt unum verbum græcum, quod est ἐλογισάμην : sed profunda est illa sententia, et si adjuverit Dominus, operosius disputatione alia penetranda est. Nam et quod additum est : « Propterea dilexi testimonia tua semper, » multo amplius eam profundam facit. Dicit enim Apostolus, « Lex iram operatur; » hujusque dicti rationem reddens, « Ubi enim non est lex, inquit, nec prævaricatio⁷ : » ita ostendens non omnes esse prævaricatores. Non enim omnes habent legem. Non autem omnes habere legem, alio loco evidentius ait : « Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt⁸. » Quid sibi ergo vult : « Prævaricatores deputavi omnes peccato-

¹ Psal. cxviii, 118. — ² Prov. II, 11. — ³ Sap. I, 9. — ⁴ Rom. II, 15. — ⁵ Psal. xlii, 4. — ⁶ Id. cxviii, 119. — ⁷ Rom. IV, 15. — ⁸ Id. II, 12.

» res terræ? » Sed hic quæstionem proposuisse suffecerit alio, si Deus donaverit, sermone tractandam, ne hujus prolixitas eam cogat angustius explicari, quam ut bene possit quod explicatur intelligi.

SERMO XXV.

I. QUÆRIMUS, si Deo largiente invenire possimus, quomodo intelligendum sit quod in isto Psalmo magno dictum est : « Prævaricatores, » vel potius, « prævaricantes; » græcus enim παραβαίνοντας ait, non παραβάτας : quærimus ergo quomodo intelligendum sit : « Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ. » Propter quod ait Apostolus : « Ubi enim lex non est, nec prævaricatio. » Hoc autem dixit, cum a lege promissa distingueret. Nam ut de superioribus sensus plenior colligatur : « Non enim per legem, inquit, promissio Abrahamæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi; sed per justitiam fidei. Si enim qui per legem hæredes sunt, exinanita est fides, et evacuata est promissio : lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini; non ei tantum quod ex lege est, sed et ei quod ex fide est Abraham, qui est pater omnium nostrum¹. » Cur hoc Apostolus ait, nisi ut ostenderet legem sine promissionis gratia, non solum non auferre, verum et augere peccatum? Unde et illud est : « Lex subintravit, ut abundaret delictum². » Sed quia omnia per gratiam dimittuntur, non solum quæ sine lege, verumetiam quæ in lege commissa sunt; ideo ibi secutus adjunxit : « Ubi autem abundavit delictum, su-

¹ Rom. IV, 13-16. — ² Id. V, 20.

» perabundavit gratia. » Non itaque prævaricantes deputat omnes peccatores Apostolus, sed eos tantum prævaricantes deputat qui transgrediuntur legem. « Ubi enim non » est lex, inquit, nec prævaricatio. » Ac per hoc secundum Apostolum, omnis quidem prævaricator peccator est, quia peccat in lege : sed non omnis peccator prævaricator est, quia peccant aliqui sine lege ; « Ubi autem non est lex, » nec prævaricatio. » Porro si nemo sine lege peccaret, non idem ipse Apostolus diceret : « Quicumque sine lege » peccaverunt, sine lege peribunt¹. » Secundum istum vero Psalmum, si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum : nulla est autem prævaricatio sine lege ; nullum est igitur nisi in lege peccatum. Qui ergo dicit : « Prævaricantes » deputavi omnes peccatores terræ, » nullos esse omnino, nisi qui legem transgressi sunt, vult intelligi peccatores ; et ob hoc adversatur illi qui dixit : « Quicumque sine lege » peccaverunt, sine lege peribunt. » Secundum illum quippe sunt aliqui peccatores, quamvis non sint prævaricantes, id est, qui sine lege peccaverunt ; « Ubi enim non » est lex, nec prævaricatio : » secundum istum autem nullus est sine prævaricatione peccator ; quia prævaricantes deputat omnes peccatores terræ. Nullus ergo secundum istum sine lege peccavit ; quia ubi non est lex, nec prævaricatio. An forte dicturi sumus, verum quidem esse quod nec prævaricatio sit ubi non est lex, sed verum non esse quod aliqui sine lege peccaverint ; aut verum quidem esse aliquos sine lege peccasse, sed verum non esse, ubi lex non est, prævaricationem esse non posse ? At utrumque Apostolus dixit : verum est ergo utrumque ; quia utrumque per Apostolum veritas dixit. Quomodo ergo erit verum quod in Psalmo isto eadem procul dubio Veritas dixit :

¹ Rom. II, 12.

« Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ ? » Respondetur enim nobis, Qui sunt ergo illi, qui secundum Apostolum sine lege peccaverunt ? Non enim et eorum quisquam prævaricans deputandus est, cum secundum eundem Apostolum, prævaricatio non sit ubi lex non est.

II. Sed nimirum cum diceret Apostolus : « Quicumque » sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, » de illa lege agebat, quam Deus dedit per Moysen famulum suum populo suo Israël. Hæc ipsa, quæ circumstant, verba ejus ostendunt. Disputabat enim de Judæis, et Græcis, id est, Gentibus, non ad circumcisionem, sed ad præputium pertinentibus ; ideo sine lege eos dicens, quia non acceperant legem, quam se accepisse gloriabantur Judæi. Unde illis ait : « Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in » lege, et gloriaris in Deo. » Denique unde ad hanc sententiam venerit, intuendum est, ut diceret : « Quicum- » que sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Ira, in- » quit, et indignatio, tribulatio et angustia in omnem » animam hominis operantis malum, Judæi primum et » Græci : gloria autem et honor et pax omni operanti bo- » num, Judæo primum et Græco. Non est enim persona- » rum acceptio apud Deum. » Ad hæc addidit unde nunc quæstio est, et ait : « Quicumque enim sine lege peccave- » runt, sine lege peribunt ; et quicumque in lege pecca- » verunt, per legem judicabuntur¹. » Hos utique Judæos, illos autem Græcos volens intelligi, quoniam de his agebat ; utrosque sub peccato esse demonstrans, ut egere se gratia utrique fateantur : propter quod dicit : « Non enim est » distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent gloria » Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemp- » tionem quæ est in Christo Jesu. » Quos itaque dicit omnes peccasse, nisi Judæos et Græcos, de quibus dixit

¹ Rom. II, 8-17.

rat, « Non enim est distinctio? » Nam de his et paulo ante, « Causati enim sumus, inquit, Judæos et Græcos omnes sub » peccato esse¹. » Ac per hoc « Quicumque sine lege pec- » caverunt, illa scilicet, de qua Judæi gloriabantur, » sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt, » id est, ipsi Judæi, per legem judicabuntur. » Nec ideo non peribunt, nisi credant in eum qui venit quærere quod perierat².

III. Nonnulli quippe etiam catholici tractatores, in his Apostoli verbis aliter quam se res habet, parum attendendo sapuerunt, ut dicerent illos perire, qui sine lege peccaverunt; hos autem qui in lege peccaverunt, judicari tantummodo, non perire: tanquam per pœnas transitorias credantur esse purgandi, sicut ille de quo dictum est: « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem³. » Sed hoc merito fundamenti bene intelligitur, de quo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Superius quippe dixerat: « Ut sapiens architectus fundamentum posui, alius super- » ædificat. Unusquisque autem videat quomodo superæ- » dificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, » præter id quod positum est, quod est Christus Jesus⁴: » et cætera usque ad eundem locum, ubi eum dixit per ignem salvari, qui super hoc fundamentum, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam ædificat; non tamen respuit ne recipiat, nec receptum deserit fundamentum; idque omnibus carnalibus suis, quibus capitur atque succumbit, delectationibus anteponit, cum ad hunc articulum ventum fuerit, ut aut illæ deserantur, aut Christus; ubi si non anteponetur Christus, non illi est fundamentum. Omnibus quippe structuræ posterioribus partibus anteponitur fundamentum. Nec cogitasse existimo eos, qui senserunt

¹ Rom. III, 9 et 22-24. — ² Luc. XIX, 10. — ³ I Cor. III, 15. — ⁴ Ibid. 10, 11.

non perire, de quibus dictum est: « Per legem judica- » buntur, » nisi quia fundamentum habent Christum. Parum ergo attenderunt quod demonstravimus; atque ipsa Scriptura clamat, de Judæis hoc Apostolum dicere, qui sine fundamento sunt Christo. Quis autem Christianus dixerit non perire Judæum, si non credat in Christum, sed tantummodo judicari? Cum Christus ipse ad eandem gentem, propter oves quæ inde perierant, se missum esse testetur¹; et tolerabilius dicat futurum Sodomitis in die iudicii, qui utique sine lege perierunt, quam civitati Judææ, quæ in eum non credidit tanta virtute mirabilia facientem².

IV. Si ergo Apostolus secundum legem quam Deus per Moysen populo Israël dedit, cæteris autem gentibus non dedit, sine lege dixit esse cæteras gentes³; quid intellecturi sumus in isto Psalmo dictum esse: « Prævaricantes » æstimavi omnes peccatores terræ, » nisi intelligamus aliquam legem non per Moysen datam, secundum quam sunt prævaricantes, cæterarum gentium peccatores? « Ubi enim » lex non est, nec prævaricatio. » Quæ ista lex est, nisi forte illa de qua idem dicit Apostolus: « Gentes quæ le- » gem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; hi » legem non habentes, ipsi sibi sunt lex⁴? » Secundum hoc ergo quod dicit, Legem non habentes; sine lege peccaverunt, et sine lege peribunt: secundum id vero quod ait: « Ipsi sibi sunt lex; » non immerito prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi: et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati. Numquid autem lex ista naturalis non erat in populo Israël? Erat plane, quoniam et ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent. Multo ma-

¹ Matth. XV, 24. — ² Id. XX, 15. — ³ Rom. II, 14. — ⁴ Id. IV, 15.

gis ergo prævaricatores facti sunt lege divina, qua naturalis illa sive instaurata, sive aucta, sive firmata est.

V. Jamvero si in omnibus peccatoribus terræ non incongrue deputantur et parvuli, propter originalis vincula peccati, etiam ipsi in similitudine prævaricationis Adæ¹, ad illam prævaricationem pertinere monstrantur, quæ data lege in paradiso prima commissæ est²: ac per hoc recte, nullo prorsus excepto, prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. « Omnes autem peccaverunt, et egent » gloria Dei³. » Omnes igitur prævaricantes gratia Salvatoris invenit, alios magis, alios minus. Quanto enim legis major in quocumque cognitio, tanto minor peccati excusatio: quanto minor peccati excusatio, tanto manifestior prævaricatio. Restabat ergo, ut omnibus non sua, sed Dei, id est, a Deo donata justitia subveniret. Unde ait Apostolus: « Per legem cognitio peccati. » Non ergo ablatio, sed cognitio. « Nunc autem sine lege, inquit, justitia Dei manifestata est, testificata per Legem, et Prophetas⁴. » Proinde etiam iste subjunxit, « Propterea, inquit, dilexi » testimonia tua. » Tanquam diceret: Quoniam lex sive in paradiso data, sive naturaliter insita, sive in litteris promulgata, prævaricatores fecit omnes peccatores terræ: « Propterea dilexi testimonia tua, » quæ sunt in lege tua, de gratia tua; ut non sit in me justitia mea, sed tua. Lex enim ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam. Non solum enim quod attestatur manifestandæ justitiæ Dei, quæ sine lege est; verumetiam hoc ipso quod prævaricantes facit, ita ut etiam littera occidat, ad vivificantem spiritum⁵ confugere timore compellit, per quem peccatorum deleatur universitas, et recte factorum charitas inspiretur, « Propterea, inquit, dilexi testimonia tua. » Quidam codices

¹ Rom. v, 14. — ² Gen. iii, 6. — ³ Rom. iii, 13. — ⁴ Ihd. 20, 21. — ⁵ 2 Cor. iii, 6.

habent, « semper, » quidam non habent. Sed si est, sic accipiendum est, « semper, » ut sic intelligatur, quando hic vivitur. Hic sunt enim testimonia necessaria de Lege et Prophetis, attestantia justitiæ Dei, qua justificamur gratis: hic sunt et nostra testimonia necessaria, pro quibus ipsam, quæ hic agitur, vitam Martyres finierunt.

VI. Cognita itaque Dei gratia, quæ sola liberat a prævaricatione, quæ legis cognitione committitur, orando dicit: « Confige clavis a timore tuo carnes meas¹. » Sic enim expressius interpretati sunt quidam nostri, quod græce uno verbo dici potuit, id est, *καθίλωσον*. Hoc alii, « Confige » dicere voluerunt, nec addiderunt « clavis; » atque ita dum volunt uno verbo græco unum latinum interpretando reddere, sententiam minus explicaverunt: quoniam in eo quod est « Confige, » non sonant clavi; *καθίλωσον* autem sine clavis intelligi non potest, nec nisi duobus verbis latine dici potest, sicut dictum est, est, « Confige clavis. » Ubi quid vult intelligi; nisi quod ait Apostolus, « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce » Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus » crucifixus est, et ego mundo²? » Et iterum: « Christo, » inquit, confixus sum cruci; vivo autem jam non ego, » vivit vero in me Christus³. » Quod quid est aliud, nisi non est in me justitia mea, quæ ex lege est, in qua prævaricator effectus sum; sed, justitia Dei, id est, quæ mihi ex Deo est⁴, non ex me? Sic quippe in me vivit, non ego, sed Christus: « Qui factus est nobis sapientia a Deo, et » justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur⁵. » Item dicit, « Qui autem sunt Jesu Christi, carnem crucifixi » fixerunt cum passionibus et concupiscentiis⁶. » Cum hic

¹ Psal. cxviii, 120. — ² Gal. vi, 14. — ³ Id. ii, 19, 20. — ⁴ Philip. iii, 9. — ⁵ I Cor. i, 30, 31. — ⁶ Gal. v, 24.

dictum sit, quod ipsi « Crucifixerunt carnem suam, » in isto tamen Psalmo Deus rogatur ut id faciat, cui dicitur, « Con- » fige clavis a timore tuo carnes meas: » ut intelligamus etiam id quod recte facimus, gratiæ Dei esse tribuendum, « Qui in » nobis operatur et velle et operari pro bona voluntate¹. »

VII. Sed quid sibi vult, quod cum dixisset : « Confige » clavis a timore tuo carnes meas; » addidit, « A judiciis » enim tuis timui? » Quid est, « Confige a timore tuo, » timui enim? » Si jam timuerat, vel timebat, cur adhuc ut a timore suo Deus crucifigeret carnes ejus orabat? An addi sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis affectibusque carnalibus? Tanquam dicens, Perfice in me timorem tuum, timui enim a judiciis tuis. Sed est hic alius altior sensus, quantum Deus donat, scrutato sinu Scripturæ hujus eruendus. « Confige, inquit, clavis a ti- » more tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui : » hoc est, A timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi², carnalia mea desideria comprimantur; « A judiciis enim » tuis timui, » cum mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare justitiam. Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, consummata charitas foras mittit³; quæ non timore pœnæ, sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est; et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit : vivit tamen. Mallet enim licere, et dolet non licere quod lex vetat : quia non spiritaliter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas : quia nec im-

¹ Philip. II, 13. — ² Psal. XVIII, 10. — ³ I Joan. IV, 18.

punitatem judicat secuturam, quando amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. Tali timore carnes crucifiguntur; quoniam carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potius quam vitantur, spiritalium bonorum delectatione vincuntur, et eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur. « Confige ergo clavis, in- » quit, a timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis » timui. » Hoc est; Da mihi castum timorem, ad quem petendum me tanquam pædagogus timor legis ille perduxit, quo timore « A judiciis tuis timui. »

SERMO XXVI.

I. Istos magni Psalmi hujus versus considerandos nunc suscepimus atque tractandos : « Feci judicium et justitiam, » ne tradas me nocentibus me¹. » Non mirum est eum fecisse judicium et justitiam, qui superius poposcerat a timore Dei, utique casto, configi clavis carnes suas, hoc est, carnales concupiscentias, quæ solent, quominus rectum sit, nostrum impedire judicium. Quamvis autem sive rectum, sive pravum, in nostri sermonis usu judicium nuncupetur, unde hominibus in Evangelio dicitur : « Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium ju- » dicat²; » tamen hoc loco ita positum est judicium, tanquam si rectum non fuerit, non debeat judicium nominari : alioquin non sufficeret dicere, « Feci judicium; » sed diceretur, Feci rectum judicium. Hoc genere locutus est Dominus Jesus, ubi ait : « Reliquistis graviora Legis, » judicium et misericordiam et fidem³. » Et hic enim judicium sic positum est, tanquam non sit judicium, si per-

¹ Psal. CXVIII, 121. — ² Joan. VII, 24. — ³ Matth. XXIII, 23.